

Nicolaus Schütze    Bernhard Lindemann

## **Disputatio Iuridica Inauguralis. De Obligationibus**

Rostochii: Kilius, 1652

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732598249>

Druck    Freier  Zugang



Verpflichtungen

Dir. + Progr.

N. Schütz (B. Lindenmann) / 6.

R. U. in 1652.



35

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
OBLIGATIONIBUS

*Quam*  
Divino fretus auxilio  
Ex Decreto & autoritate Nobilissimæ  
ac Amplissimæ Facultatis Juridicæ in celeberrimâ  
Rostochiensî Academiâ,

SUB PRÆSIDIO.

VIRI NOBILIS CONSULTISSIMI  
ET EXCELLENTISSIMI,

Dn. NICOLAI SCHUTZEN J. U. D.  
pro tempore Magnifici Academiæ Rectoris  
Codicis Professoris Publici, nec non Reverendi  
Capituli Lubecensis Syndici dignissimi.

Pro consequendis in Utroq; Jure summis honoribus  
& privilegiis Doctoralibus.

*Publicè exanimandam exhibet.*

BERNHARD LINDEMAN,  
Reipublicæ Patriæ Protonotarius,

*Ad diem 29. Januarij in Auditorio Majori,  
horis antè & pomeridianis.*

---

ROSTOCHII,  
Typis NICOLAI KILLII, Academiæ Typogr.  
ANNO 1652.



NOBILISSIMIS AMPLISSIMIS.  
AC PRUDENTISSIMIS.

Inclytæ Reipublicæ Rostochiensis.

DNN. CONSULIBUS.  
SYNDICO. SENA-  
TORIBUS.

*Ut & delectis*

CENTUM-VIRIS.

Disputationem hancce INAUGURALEM  
in grati animi indicinam &  
tesseram.

Inscribit, dicat, consecrat.

BERNHARD LINDEMAN.  
PROTONOTARIUS.





IN NOMINE DOMINI NO-  
STRI JESU CHRISTI

feliciter ad omnes operas actionesq;  
nostras progredimur!



Onferas licet quotquot usquam  
inveniuntur Juris materias, audacter  
pronuncio, omnes inter OBLIGA-  
TIONIS eminere. *sicut inter ignes, Luna  
minores*, quippe ut multæ inumbratâ an-  
tiquitate, obsoleverunt ita hæc frequen-  
ti se usu commendat; quotusquisq; enim hodie aliâ ex  
causa in Jus vocatur quam quod aut facere aut dare eum  
oportere intendat adversarius; quis nunc in foro de  
Glande legendâ calatis Comitibus venditione per æs & li-  
bram disputat quin potius creditorum debitorumq; liti-  
giis & clamoribus resonant tribunalia, quorum illi hos  
devinctos sibi adserunt atq; obligatos vel ex conven-  
tione & contractu vel ex scelere & malefactis; Hinc  
Juris ad rem consequendam i. e. OBLIGATIONIS  
materiam & argumentum, cujus tam creber frequensq;  
quam ipsorum nummorum usus est præ coeteris delegi,  
ex suggestionem suamq; J. C. Pauli edicentis quotidiana  
plenius attingenda l. 25. ff. de liber. legat. quod ipsum  
dum positionibus per paucis inlustrare exordior Deum  
O. M. ejusq; Spiritum S. in subsidium suppliciter &  
devotè advoco.

## T H E S I S I.

**Q**uandoquidem definitio rei naturam optimè  
revelat & involutam notitiam asserit ab ea auspicari fas est,  
& æquum secundum *Cicer. 1. de offic.* Est vero Obligatio  
Juris vinculum §. 1. *J. de Reb. Corpor. l. 59. de condit. Indeb.*  
*l. 46. de Acq. vel amitt. Posses.* quo necessitate adstringimur *l. 67. ff. de*  
*Procur. l. 99. de V.O. l. 3. de Obl. & Action.* alicujus rei solvendæ. *pr. J. quib.*  
*mod. obl. toll.* secundum nostræ civitatis Jura §. 1. *J. de Oblig.*

II. Estq; vel Naturalis vel Civilis vel mixta *l. 31. ff. de pos. l. 5. ff. de*  
*Pign. & Hypoth. l. 10. ff. ad SC. Macedon. l. 21. §. 2. ff. & §. 1. J. de Fidej.* Illa,  
quæ soli æquitati *l. 1. §. 1. ff. si is qui Testam. lib. esse jus. l. 95. §. 4. de solut.*  
soli rationi *l. 1. §. 9. ff. de O. & A. innixa,* actionem efficaciam non parit  
*l. 1. §. 17 ff. ad l. Falcid. l. 7. §. 5. ff. de pact. l. 94. ff. de solut.* Unde facti magis  
in tuitu quam Juris civilis consideratione obligatio dicitur *l. 41. ff. de*  
*Peculio.* Etenim primis illis temporibus fides ipsa sufficere videbatur ad  
confirmandas conventiones nec actionis vinculo opus esse. Exempla  
obligationis merè naturalis habentur *in l. 14. h. t. l. 38. ff. de peculio l. 5.*  
*§. 2. de solut. l. f. ff. qui Testam. fac. pos.*

III. Ista quæ Juris Civilis autoritate suffulta, æquitate vero naturali  
destituta, actionem quidem parit, sed elumbem & infirmam, ut pote-  
quæ exceptione prætoriâ labefactatur & subvertitur *l. 3. §. 1. ff. de const.*  
*pec.* Exempla suppeditat *t. 1. J. de Except. l. 14. c. de non num. pecun.* Sunt  
tamen paucæ civiles quidem tantum Obligationes sed quæ actionem  
validam & efficacem habent quas vid. *in l. 56. de R2 Judic. l. 26. §. ult. de*  
*Jurejur.*

IV. Hæc vero, quæ Civilis & Naturalis dicitur *l. 8. §. 3. ff. de fidejus.* in-  
terdum & simpliciter Naturalis *l. 10. ff. de obl. & action. l. 126. §. 2. de V.O.*  
interdum Civilis simpliciter *l. 7. §. 2. ff. de pact.* est quæ à Jure gentium  
adinventa & introducta Juris quoq; civilis approbationem promeruit,  
atq; Inde parit actionem efficacem §. 1. *J. de action. l. 10. 55. de V.S.* atq;  
de hâc plenâ propriâq; obligatione supradicta definitio intelligenda.

V. Sequitur divisio Obligationum alia! nam quædam Civiles sunt  
quædam Prætoriæ Civilium nomen obtinent quæ vel antea incognitæ à  
Jure Civili primum excogitatæ (qualis stipulatio §. 9. *de action.* litera-  
rum obligatio *pr. J. de litt. obl. Emphyteusis §. 3. de loc. & Cod.*) vel ex  
placitis Gentium descendentes confirmatæ tantum sunt Quiritum Jure  
atq;

atq; effectu donatæ instructæq; Namq; & hæ non in eleganter Civiles appellari possunt *arg. l. 130. de V. S. quemadmodum ex adverso Juris Communis illæ; quæ à Civitate Romanâ repertæ, à Gentibus usu sunt comprobata l. 8. §. ult. ff. de Acceptit.*

VI. Honorariæ sunt non quidem omnes illæ de quibus Prætor Edictum proposuit, alioqui enim & commodatum *l. 1. in pr. ff. Comm. honorarium esset, & hereditatis directa petitio l. 1. ff. si pars her.* quod dictum absurdum sed illæ solum, ex quibus à Jure Gentium descendebat Prætor primus in foro Civili dedit actionem, adjuto Jure Naturali; Omnis enim obligatio Prætoriana naturalis quoq; est, sed non contra. *Exempla Prætoriarum sunt in l. 17. §. 2. ff. de Pactis §. 9. J. de action. §. 1. J. de perpet. & temp. action. pr. J. de vi bon. rapt.*

VII. Causa efficiens obligationum proxima est quadruplex, Omnis enim vel ex Contractu progignitur vel ex quasi contractu; ex delicto vel quasi neq; plures species dantur, *§. ult. h. t. §. 1. de Action.*

VIII. Contractus (cujus definitionem conjunctim pete ex *l. 1. §. 3. de Pactis Ubi conventio & l. Labeo. 19. de V. S. Ubi ultrocitraq; Obligatio, Aut Ut Alii volunt, Conventio cum causâ l. 7. §. 2. ff. de Pact. definitur) vel Innominatus est vel Nominatus, Ille proprius *in l. 19. ff. de Præscript. verb. & proveniens inde actio propria in l. 27. in f. ff. de pign. Act.* Item incertus appellatur *l. 1. §. 6. ff. de Const. l. 9. in princ. de R. C.* Innominatus vero dicitur non quasi omnino careat nomine, sed quod unius negotii nomen tantum non habeat, verum ad multa unicâ appellatione extendatur *Petr. Gregr. Tholol. l. 28. Synt. c. 1.* Hujus species quatuor enumerantur *in l. 5. ff. de Præscript. verb. habentq; hoc commune omnes, quod non consensu modo, sed rei demum traditione factovè subsequente consummentur & perficiantur, l. 1. §. 2. ff. de R. P. l. 15. ff. de P. V. Donell. 12. Comm. c. 12. Bocer. Clariss. 2. disp. 13. thes. 1.**

IX. Nominatus (ideo sic dictus quod propter Singularem utilitatem quam generi humano præbet sortitus sit proprium & speciale nomen.) quatuor & ipse modis initur Re, verbis, litteris, Consensu, Cum quasi Contractus itemq; delicta omnia ex re seu facto ipso tantum vim accipiant. *pr. J. de Oblig. quæ ex delict. nasci. l. 46. de O. & A.* Sane contractuum nullus est qui non desideret Consensum, sed illorum quidam consensu solo absoluuntur; ut actionem producant, quidam præter consensum alio aliquo egent, adminiculo puta (1.) Rei traditione & interventu qui causam iis dare dicitur *l. 7. §. 2. ff. de pact.* unde Reales audiunt & omnes



Gentium Juris sunt, §. 2. *J. de Jur. Nat.* interq; eos princeps primusq;  
MUTUUM est.

X. Hic stricti Juris Contractus atq; naturâ suâ gratuitus non circa  
alias res versatur, quam quæ functionē in genere suo i. e. satisfactionem  
& æqu pondium recipiunt. *l. 2. §. 1. ff. de Reb. ered. l. 1. §. 1. de O. & A.*  
seu quarum altera tantundem præstat in usu communi: quod quan-  
tumq; altera *l. 6. ff. de R. C. l. 37. ff. ad l. Aquil.* cum utriusq; idem valor,  
eadem bonitas & præstantia, alteraq; alteram repræsentet; atq; hæc in  
jure nostro quantitates dicuntur *l. 6. de R. C. l. 34. de Condit. & Demostri.*  
Quæ quomodo æstimandæ, ne incertæ sint possitq; earum proficiuus  
esse usus, egregie tradit, *Joh. Alth. 1. dicæolog. c. 1.* Quandoq; tamen &  
corporum mutuuum esse (quoties ut quantitates dantur veluti si dolia  
certa dentur ad numerum aut grex, ut totidem reddantur capita) vult  
*Cujac. l. 11. obs. 37.*

XI. Præterea mutui datione transfertur Dominium *pr. J. quib.*  
*mod. re Contr.* quod ipsa rerum fungibilium natura videtur invexisse,  
harum enim nullus est usus sine consumptione *l. 5. §. 1. l. 7. l. ult. ff. de*  
*usufr. ear. rer. quæ us. conf.* unde iis, quæ servando servari vix possunt,  
accensentur *l. 22. C. de admin. Tul.* Ex jam dictis & illud intelligere licet.  
Eos qui rebus suis nequeunt superesse, quib; & ea propter administratio  
illarum interdicta est, (quales pupilli) sine autoritate tutoris nec mu-  
tuare posse nec accipere mutuo §. 2. *1. quib. alien. lic.* quamvis utilita-  
tis causa ex consumptione bona fide factâ mutuuum concilietur *l. 12. 19.*  
*ult. ff. de R. C.* Ita fur, quia Dominus Legitimus rei furtivæ non est, sine  
stipulatione alienam rem mutuo dando nihil agit *l. 56. §. 2. ff. de Fidejuss.*

XII. Actio ex hac Conventionione Creditori competens ad recupe-  
randam rem non eandem, quam mutuatus est: *l. 2. ff. de R. C.* sed aliam,  
ejusdem quantitatis & qualitatis, *l. 42. ff. de Jur. Dot.* dicitur actio mu-  
tui *l. 5. C. quibus non objic. long. temp. præscrip.* item creditæ pecuniæ  
*l. pen. ff. de Institut. actione*, nec non certi conditio *pr. quib. mod. re*  
*contr.* quæ an specialis aliqua propriaq; ex solò hoc Contractu an vero  
generalis ex omni causa, ex qua certum petitur, *l. 9. ff. de R. C.* prove-  
niens Actio sit in discursu videbimus.

XIII. Secundo realium Contractuum locò colloco. Indebitum, ita  
volente Triboniano §. 1. *quib. mod. re Contr.* quod ipsum si eodem autore  
dixero quasi Contractum, aut distractum, erroris argui non po-  
tero: Ille enim me Judice non errat, qui Justinianum ac curatissime lo-  
quentem

quentem sequitur. Dicitur vero alias obligatio tacita *l. 13. §. ult. ff. com-  
mod. Contractus ex re l. 5. §. 2. de O. & A. quasi mutui datio l. 5. §. 3. d. t.*

XIV. Actio ex hoc contractu proficiscens, appellatur Condictio  
Indebiti, vel actio Condictitia §. 1. *quib. mod. re ut & actio Condictio-  
nis l. 1. C. de Cond. Ind. competitq; ei qui quod neq; naturaliter neq;  
civiliter l. 26. §. 3. ff. de Con. Ind. l. 10. de O. & A. debuit ignorantia facti  
l. 9. C. de Con. Ind. l. 24. 28. ff. de solut. soluit, putans se debere, ad rem  
solutam cum accessionibus recuperandam l. 15. ff. de C. l. quæ ut locum  
habeat, rei solutæ Dominium transferendum est, in accipientem,  
alioqui enim non competeret, Condictio. §. 14. de action. Invenies  
tamen personas quarum favor tantus ut naturâ debitum atq; à se solu-  
tum Condictione hac reposcere valeant contra communes Juris Regu-  
las, l. 29 ff. de C. l. Invenies & causas quæ repetitionem impediunt etsi  
indebita res sit soluta de quibus consule §. ult. J. de obs. quæ ex cons. Contr.  
l. 4. C. de C. J. cum l. 23. §. fin. eod. suntq; illæ solæ ex quibuslis crescit.  
Inficiendo, plures enim non dari, in quibus cesset Condictio hæc, in  
trepidè asserimus.*

XV. Sequitur justo ordine Commodatum, quod etsi apud *Cicer. 6.  
in Verr. mutuuum* sub se contineat, tamen ab eo discretum omnino est  
diversumq; si accuratè velis loqui. Est vero commodatum nihil  
aliud quam rei mobilis vel etiam soli *l. 1. §. 1. ff. Commod. Cic. 4. ad Herenn.  
ad certum usum atq; tempus l. 10. & 17. ff. eod. gratis, sine mercede l. 17.  
§. 3. de Præs. verb. §. 2. de loc. à quovis facta concessio: Dixi à quovis:  
nam & fur & prædo si utendam dederit rem non suam iudicio commo-  
dati illam repetere non prohibetur l. 6. ff. Commod. l. 64. ff. de Judic.*

XVI. Quemadmodum vero ad certum usum res commodatur  
quem præscribere commodatoris est. *l. 3. ff. Commod. quemq; qui egre-  
ditur furtum committit §. 7. de Oblig. quæ ex delict. nasc. cujus rei exem-  
pla consignarunt J. C. in §. 6. Inst. de Oblig. quæ ex de licit. l. 54. §. 1. ff. de  
Furt. & passim alibi. Item Valer. Max. lib. 8. c. 2. Gellius lib. 7. c. 17.* Ita  
intempestivè repetendi quod concessit copia potestasq; commodanti  
neutiquam est vid. elegans exempl. in *l. 17. ff. commod. ad expletò usu  
confestim reddere debet commodatarius quæ fuere concessa, quamvis  
prætextu debiti interdum possit ea retinere compensationisq; uti be-  
neficio.*

XVII. Proferimus porro pedem ad depositum, quod olim fere pu-  
bicum erat. Romani enim pecunias in æde pacis teste *Herodian. l. 1. aut*

si Mer-

si Mercuriales essent viri in Castoris deponabant ut videre est ex *Juvenal. Satyr. 14. Macrob. l. 1. Satur. c. 8.* quo etiam pertinet *l. 7. ff. de minor Lacceptam C. de usur. l. litibus C. de agricol. l. f. §. ult. C. de bon. ant. jud. poss.* Sed hodie, amicis nostris commendare res nostras custodiendas, familiare habemus, easq; ab iis actione directâ Contractui huic cognomine repetere, sive deposita sit mobilis sive immobilis res, nam & has deponi posse mea fert sententia quia authores sequor *Goddeum ad rubr. X. de seq. poss. Humm. in var. Resol. tract. 3. part. 4. q. 1.*

XVII. Et quidem communiter hæc actio in simplum datur, rei q; est persecutoria *§. 17. J. de action.* at quibusdam casibus crescit in duplum si sc. depositarius necessitatis tempore suæ fidei commissa abneget; quæ inficiatio quum sit impia & Deo ipsi exosa, ut eleganter demonstrant *Juven. satyr. 13. Herod. l. 6. Aristot. lib. Probs. Sect. 29. q. 2. Cic. pro sept. Rosco Alex. ab Alex. l. 6. Genial. dier. c. 10. idcirco gloriosissimus Imperator Carolus V. his talibus infidis & fraudulentis depositariis furti pœnam adjudicat *Const. Criminal. art. 170.**

XIX. Novissimus realium Contractuum sed accessorius nec per se subsistens *l. 2. §. ff. de pign. act.* est Pignus quod ab Hypotheca differt, (licet pignus & Hypothecam Scævola *in l. 34. de Pignor. & Hypot.* confundat. Et quoq; quoad Actionem Hypothecariam non differant *l. 5. §. ff. D. de pign. & hypot. §. 7. J. de Action.*) Est vero Contractus pignoratitius cum res idonea *tt. quæ res pign. dar. poss.* traditur creditori in fiduciam & securitatem crediti, à quò, soluto eò cujus gratiâ datum pignus erat, Debitor repetit directâ actione pignoratitiâ (quæ civilis à Prætererea quasi Serviana Diversa est) illud, quo caverat creditori. Sed pignoris Species, *de pignor. Prætor. tit. C. de pign. judic.* Et excellentissima, quæ ei adjici solent, *Pacta tt. de in diem addict. t. C. de pact. pignor.* Item Distractiones *dd. ff. & C. de Distr. pign.* atq; in his Creditorum Concursum & Prærogativam *ff. & C. qui potior in pign.* si vel delibare occiperem excreferet tractatio hæc in magni voluminis molem, quæ pagellis paucillulis circumscribenda. Proin missis Realibus ad illum, qui (2.) verbis perficitur, transeo Contractum.

XX. Hæc stipulatio audit quæ Juris Civilis est & alteram tantum contrahentium partem obligat requiritq; verborum solennitatem in prævia Interrogatione & statim subsequente congrua responsione consistentem; nam sine verbis nulla Stipulatio *pr. J. de V. O. l. 1. §. pen. ff. de pact. l. 52. §. 2. ff. de O. & A. L. 132. de V. O.* Scilicet expressa est enim & tactia

tacita aliqua quæ intervenisse fingitur stipulatio, etiam si sit omiffa, cujus exempla edocent; *l. Un. C. de Rei Uxor act. l. 19. ff. de adopt. l. 14. C. de Contrah. & Comm. stipul.*

XXI. Atq; hæc per verba contrahendi formula necessaria fuit, partim quia semper res ad manum non sunt ut possimus etiam gestientes dominium earum traditione transferre, partim ad fulciendam alioquin debiliū Conventionum causam; In stipulationibus enim hoc agitur, ut quis cautior sit & securior unde omnes naturâ cautionales esse *Ulpian.* pronunciat in *l. 1. §. 4. ff. de Prætor. stipul.* quæ tamen cæterò quin variè dispescuntur; nam à modo accidentali alia pura est, alia conditionalis *§. 2. J. de V. O.* tum porro alia factum complectitur alia dationem, alia utrumq; *l. 13. C. de Contr. Stip.* nisi hæc potius à fine est desumpta; alia unius est alia correorum plurium *t. t. J. ff. & C. de duob. reis stipul.* Sive ille ex suâ ipsius personâ Jus habeat stipulandi, sive ex alienâ *t. t. de stipul. serv.* Alia Judicialis, alia Prætorica, alia communis, alia conventionalis *t. t. J. de divis. stipul. l. 1. ff. de stipul. Prætor.* deniq; aliæ utiles sunt aliæ Inutiles, variis enim modis verborum Obligatio vitatur & corrumpitur ut inutilis & inefficax & illegitima esse incipiat de quibus videantur, *t. t. J. ff. & C. de Inut. stipul.*

XXII. Stipulationi vis actionis inest, ut *Cic.* quoq; testatur *pro Cæcinnâ sub init.* & quidem duplicis, quæ totiens oritur quotiens promissor fluxam fidem gerit nec pollicitationibus manet. Altera est certi condictio cum res certa est deducta in hunc verbalem contractum, altera ex stipulatu actio cum res incerta: hæc plenius etiam incerti ex stipulatu actio nominatur *l. 4. ff. de usur. l. 27. ff. de Recept.* alibi vero actio incerti appellatur *l. 3. in f. C. de Inut. stip.* sed usus stipulationum maximam partem exolevit, proq; iis hodie pacta conventa frequentantur.

XXIII. Tertia species Contractuum quibus obligatio constituitur, est illa quæ ex litteris atq; scripturâ robur accipit & complementum; scilicet cum Chirographario Instrumento fatetur quis accepisse se pecuniam quam non accepit, nec intra biennium illam scripturæ confessionem revocavit, *§. 1. J. de litt. obl. l. 14. C. de non num. pec.* tum enim post lapsum temporis illius ex litteris suis obligatur efficaciter *d. l.* & condictione ex lege coactus solvere tenetur, *l. unic. ff. de cond. ex Leg.* quamvis probare paratus sit, nihil sibi numeratum *l. 8. in f. & 10. C. de non num. pec.*

XXIV. Intra fatalia vero illa tempora habet remedia multi faria quibus possit indemnitati suæ consulere qui simplicitate lapsus accepisse se factus est, quod non accepit, iniquum enim, petitorum exigentem quod non numeravit protelare potest & repellere (1.) Exceptione non numeratæ pecuniæ, *l. 1. &*

B

pen.

*pen. C. de non num. pen. (2.)* Condiçione sine causâ cautionem suam repeterere  
*l. 7. C. ibid. (3.)* Ei qui scriptus est pecuniam alias veres dedisse denunciationem  
non numeratæ pecuniæ mittere atq; manifestare *l. 21. C. de Episc. aud.* quod si  
quis scripturam propriam falso abnegat, aut numerationem inficitur con-  
victus mendacii in duplum condemnabitur, *Aut. contra qui propriam C. d. t.*

XXV. Claudant seriem & catalogum contractuum illi qui nec interventum  
rei desiderant nec verborum solennitates nec litteras sed solo nudoq; consen-  
su consummantur & absolvuntur *l. 2. §. 1. ff. de O. & A. pr. J. de obl. que ex Cons.*  
imo solo nutu à fari nesciis absentibusve *l. 4. §. 1. ff. de pact. l. 48. 52. ff. de oblig.*  
& *Action.* nisi convenerit ut scriptura accedat tamen enim standum placitis *l. 17.*  
*C. de Fid. instr.* atq; de his dicam brevissime cum ob usum frequentissimum,  
nemini non sint noti.

XXVI. Eorum Primus Emptio & venditio est, cujus substantiam tria consti-  
tuunt, res *l. 8. ff. de contr. Empt.* quæ alias merx. dicitur *l. 1. ff. eod.* sive præsens  
sit sive futura, nam & spes rei emi potest, *L. spem C. de donat.* exempla apud  
*Valer. Max. lib. 4. & Sveton. lib. de Illust. Rhet. Laert. in vit. 1.* precium *§. 1. J. h. t.*  
consensus *l. 9. ff. & l. 2. C. de contr. Empt.* non quasi necesse sit rem tradi & pre-  
cium numerari ut perfectus sit Contractus, sed quia consensus, qui utrinq;  
debet intervenire, versatur circa rem & precium; dissensus, enim seu error  
sive in re sive in precio inutilem reddit emptionem *l. 9. pr. h. t.*

XXVII. Parit hic contractus actionem duplicem Empti & venditi quarum  
utraq; directa est, illa emptori adversus venditorem ad ipsam rem præcise  
præstandam *§. 2. Inst. l. 35. §. sin autem C. de donat.* hæc venditori contra empto-  
rem datur ad precium consequendum *L. 13. §. 19. ff. de action. Empt.*

XXVIII. Emptioni & venditioni proxima est & similis locatio Condu-  
ctio, sed differunt tamen præprimis quia illa causa est per quam transferri po-  
test dominium *§. 40. J. de R. D.* hæc temporalem tantum concedit rei operæ-  
ve usum *L. 2. ff. & l. rem C. de loc. Cond.* nam & operæ locari possunt, *l. 25. ff.*  
*d. t. l. 3. §. 1. ff. Naut. Caup. stabul.* atq; illos qui certâ mercede aliquid suscipie-  
bant faciendum *Marcianus in l. 11. §. 1. ff. de pæn. & Paulus in l. 89. ff. de furs.*  
mercenarios vocat.

XXIX. Sed ad quid teneatur conductor jam pridem cæpit esse in contro-  
versia colluctantibus inter se ut in speciem videtur *L. 5. ff. Comm. & §. p. J. h. t.*  
verum quemadmodum interdum in negotio in quo ex naturâ ejus tantum  
lata culpa debebat præstari, exactissima exigitur diligentia *pr. J. de oblig. quæ*  
*ex quasi Contr.* & in quo levis veniebat præstanda, de lata tantum quis tenetur  
*l. 5. §. 10. ff. Commod.* ita quid absurdi inde metuendum si Locatorem jam levis  
jam levissimæ culpæ nomine obligari eamus defensum.

XXX. Cor.

XXX. Consensu alium Contractuum tertium exemplum est Societas cuius penè innumerabiles sunt species, socii enim, inter quos res quævis est communicata ut Cic. loquitur V. in verr. at Jcti eos tantum pro sociis habent sociosq; appellant quos inter nominatim & expresse convenit, ut res indiscretæ sint & communes : nam alioqui non omnis communio societatem habet l. 2. ff. pro socio ita si pluribus res una obveniat vel donationis lucrativo vel emptionis oneroso titulo non hi illico socii sunt l. f. C. pro socio nec actio pro socio, sed communi dividendo oritur, quarum hæc magis ad communium rerum divisionem illa magis ad personales invicem præstationes pertinent l. 1. ff. Comm. divid.

XXXI. Actio proveniens ex hoc contractu habet, quædam singularia (1.) quod utrimq; sit directæ §. 2. J. de pæn. tem. litig. (2.) quod infamet. l. 1. ff. de his qui not. inf. quo pertinet locus Cic. pro sexto. Rosc. Comædo si quæ inquit privata Judicia sunt summæ existimationis, & penè dicam capitis tria hæc sunt fiduciæ; tutelæ, societatis quod verum tantum esse si doli socius damnetur contendit gloss. in l. 1. ff. de his qui not. inf. (3.) quod non semper solidum, quis eâ Actione consequatur §. 38. J. de action. Sed ob fraternitatis speciem quæ versatur in hoc contractu Competentiæ beneficium habeat socius, l. 63. pro Socio.

XXXII. Ad hanc Classẽ Contractuum deniq; mandatum quoq; pertinet, cum mandanti alicui gratuitam vel in judicio vel extra illud operam quis accommodat l. 1. in f. ff. Mandati atq; hic mandatarius dicitur, ille Procurator sicuti qui imponit exequendum mandator itemq; Dominus l. 6. §. 6. & l. 10. §. 5. ff. d. t. uterq; sive ille Judicialium sive extrajudicialium negotiorum sit mandatarius vel generali mandato instruitur vel speciali, tum vel cum liberâ vel sine liberâ potestate, illius formula est, in l. 60. §. 4. ff. Mandat. hujus facile intelligitur pr. J. de his qui sui vel al. Jur. Et procurator quidem qui generale habet mandatum, omnia quæ Dominum concernunt in Judicio exequi & peragere potest exceptis casibus, qui speciale mandatum exigunt C. generaliter de Procur. in sexto. Quales sunt in l. ult. C. etiam per procur. Caus. in J. R. L. 63. ff. de Procur. l. 7. C. de Transact. atq; hic ante litem Contestatam substituere injussu Dn. alium nequit, post facere hoc non prohibetur C. is qui de Procur. in 610, sed tamen in Camerâ receptum ut qui mandatum actis insinuavit, eoq; legitimum procuratorem se esse edocuit substituere etiam ante litem Contestatam possit alium ubi ipse ex Justa Causâ in Judicio comparere prohibetur Ordin. Cam. p. 1. Tit. 20.

XXXIV. Extra judicialis Mandatarius esse potest etiam servus l. 33. ff. de Procur. & Jure civili 17. annis minor l. 3. & 23. ff. de Minor, quos tamen Jure

Canonico debet excessisse *c. qui generaliter §. ult. de Procur. in sexto* atq; hic quandocunq; lubuerit alium potest substituere *l. 8. ff. Mand. l. 28. de Neg. Gest.*

XXXV. Quod ad hujus Contractus actiones attinet sciendū, directam dari mandanti sive Domino, adversus mandatarium ad implendum mandatum dolumq; præstandum cum omni culpâ *l. 9. 11. 13. 21. C. Mand. Contraria datur mandatario nomine impensarum l. 12. §. contrario Judicio ibid. sed tantum usq; ad summam præscriptam, pro eo autem quod excedit, ne quidem negotiorum, gestorum nedum mandati actionem dari innuere videtur l. 4. & 5. h. t.*

XXXVI. Hucusq; dictum est de Contractu vero, consequens est ut huic subjungamus quasi contractus seu illa negotia ex quibus quis absq; expresso Consensu proprio quodam Jure alii obligatur; qualis est negotiorum gestio cum quis absentis ignorantisq; res curat ne ille indefensus bonorum possessionem venditionemve, aut pignorum patiatur distractionem *l. 49. d. N. G. l. 5. de O. & A.*

XXXVII. Ex hoc quasi Contractu proveniunt actiones, quas appellamus negotiorum gestorum, quibus æq; experiri possunt invicem, de eo quod ex bonâ fide alterum alteri præstare oportet, Dominus & gestor ac si aperte inter illos convenisset *l. 5. ff. de O. & A.* Et quidem ex his directâ datur omnibus ad quos negotium pertinet etiam furiosis & pupillis *l. 24. d. t. (licet contra illos non detur nisi quatenus facti sunt locupletiores l. 3. ff. de N. G.)* adversus gestorem ut ille actus sui reddat rationem condemneturq; si quid vel non gessit, ut oportuit, vel ex his quæ gessit quædam retinuit *l. 2. ff. d. t.* Contraria competit gestori nomine ejus causaq; quod ipsi vel abest, vel abfuturum est ratione gestionis modo initio utiliter gesserit *all. l. 2. 25. 26. 45. d. t. licet casu res postea petierit l. 10. ib.* Interdum tamen denegatur actio gestori etsi sit utiliter versatus in rebus ignorantis domini *vid. l. 40. ff. mandati l. ult. C. de N. G. l. 22. C. ib.*

XXXVIII. Ita pupillus post finitam pubertatem cum tutore habet actionem, & tutor cum pupillo & si nullum inter eos negotium contrahi intelligatur; hodie tamen solent quotannis ad rationes reddendas compelli; Et illi quidem dupliciter prospectum est, competitq; actio tutelæ non tantum sed etiam de rationibus distrahendis, seu conturbatis *d. t. ff. de tutela & rat. distr.* quarum priore repetit, quicquid damni passus est dolo latâ & levi culpâ sui defensoris *l. 7. C. arbit. Tut.* itemq; pecunias cum usuris quas in propriam utilitatem tutor convertit. *l. 7. §. 3. ff. de administ. tut.* posteriore (quæ dupli) agit, si a rationibus redditus quædam à tutore ex rebus pupilli sint subtractæ & interceptæ cum quâ actione si furandi animus adsit Condictio furtiva concurrit *l. 2. ff. de Tut. & rat. distr.* Contraria datur tutori adversus pupillum finito

nito officio ut recipiat siquid impendit in rem & utilitatem pupilli bona fide  
l. 4. C. de in lit. dand. tut. l. 3. §. 8. ff. de Contrar. act. tut. l. 34. §. f. ff. de adm. tut.

XXXIX. Junge superioribus communionem rerum sine consensu inter aliquos subortam quæ vel universalis est diciturq; ex L.L. Decem viralibus familia herciscundæ i. e. hæreditatis dividendæ Cic. pro Cæt. & de Orat. l. 95. ff. & l. f. C. de V. S. vel particularis unde actio communi dividundo datur, per illam separatur hereditas l. 2. ff. Famil. Hercisc. per hanc res singulæ l. pen. ff. Comm. divid. In utrumq; vero Judicium veniunt & præstationes personales l. 4. 14. ff. Comm. divid. quemadmodum & alia habent hæc ipsa communia t. t. C. Comm. utr. Jud. Ad postremum ex quasi contractu heres Obligatur Legatariis nomine doli & culpæ in Legato commissæ l. 47. §. 4. 5. 6. ff. de Legat. 1. Excepto casu l. 198. §. 12. ib. quo dolum præstare sufficit.

XL. Nunc dicendum de delictis privatis quæ non nemo haut adeo in elegantèr appellat Contractus in voluntarios sicuti jus nostrum alicubi maleficanter nominat Contractum Malum, l. 52. ff. de Re Judic. Inter hæc nullum furto est derestabilius unde Ulpianus illud natura turpe dicit; l. 42. de V. S. & ipsi Scythæ gens expers humanitatis & virtutum nescia nullum scelus gravius esse judicaverunt fraudulenta illà contrectatione, veste Justino l. 2. fraudulentam Contrectationem furtum vocito cum Tribon. §. 1. de Oblig. quæ ex Del. duo enim imprimis requiruntur ut quis caput alligasse huic Crimini argui possit, Contrectationis seu apprehensionis factum vel ut loquitur l. 67. de furt. possessionis dominijve interversio, & animus seu affectus furandi & intercipiendi l. 41. §. 1. ff. ad l. aquil. atq; hæc duo ubi concurrunt ibi adversustalem manuarium odio ejus plures paratæ sunt actiones §. 15. de Action. (1.) furti quæ merè pœnalis & jam quadrupli jam dupli §. 26. 27. ff. d. t. adversus solum furem §. 1. J. de perp. & temp. action. (2.) Condictio furtiva qua rem furto ereptam dominus repetit à fure & herede ejus non extraneo l. 13. §. 2. ff. de jure jur. §. ult. J. de obl. quæ ex del. Harum altera alteram non consumit l. 54. §. 1. ff. de furt. nam etsi fur reddiderit rem furtivam tamen fur esse non desinit, l. 65. d. t. l. 5. ff. vi bon. rapt. (3.) Rei vindicatio sed hæc competit non tantum contra furem sed et alium quemvis rem possidentem furtivam §. ult. J. de Obl. quæ ex del. Hodie ex Const. crim. pœna furti capitalis est si concurrant illæ Circumstantiæ quas Carolus V. exigit artic. 157.

XLI. Ad furtum proxime rapina accedit, nam omnis raptor fur est, sed non contra, unde si ille deprehensus sit in ipso delicto, manifesti, si non nec manifesti furti pœnam subibit l. 52. §. ult. & l. 80. §. 3. ff. de Furt. Sed tamen etiam peculiaris ex hoc delicto prodita actio quæ prætorica est & mixta. pr. J. vi bon. rapt. §. 19. J. de Action. atq; intra annum utilem in quadruplum cui rei inest,



persecutio post annum in simplum datur l. 2. §. 13. ff. de vi bon. rapt.

XLII. Tertium delictum privatum damnus est, per culpam licet levissimam l. 44. ff. ad l. aquil. aut imprudentiam, imperitiamve etiam sine dolo malo commissum §. 5. 6. J. al. t. datumque rei quæ manet domini sicut per furtum & rapinam illi ipsi res eripitur, hoc lex Aquilia vindicat quæ scitum Plebis est, concedens jam actionem directam in eum qui suo corpore corpori, jam utilem qui corpori quidem sed non corpore nocuit, atque hæc in factum dicitur l. 2. §. 1. ff. ad l. Aquil. Quod si neque corpore neque corpori damnus datum nihil ominis tamen nocitum alia in factum actio competit à priore illa distincta cujus mentio fit in l. 11. ff. de præscr. verb.

XLIII. Injuriam familiarissimum illud nostro seculo crimen à cæteris de quibus locuti sumus animus distinguit l. 34. de O. & A. nam voluntas & affectus & destinatio & propositum Contumelia alium sive verbis sive facto sive litteris efficiendi actioni Injuriarum locum facit quæ vel civilis est, vel criminalis §. 10. I. de Injur. sicuti ita hodie ex omnibus delictis privatis agi potest, l. pen. ff. de priv. del. Civiliter ille agere dicitur qui acceptum opprobrium certa æstimat pecuniæ quantitate eamque sibi petit adjudicari Gail. 2. Obs. 102. Criminaliter sive extra ordinem, cum pœnam in judicis arbitrium transfert actor l. ult. ff. de Injur. aut fisco eam petit attribui & applicari l. 3. §. 5. ff. de sepulch. viol. Moribus vero alia etiam quoque actio Invaluit ad Palinodiam, quæ dicitur, quæ Civilis esse videtur non criminalis. Appendicis, loco addo Injuriarum actionem ne heredi quidem dari quod cum paucissimis hæc habet commune §. 1. J. de perp. & temp. A.

XLIV. Quasi delicta (quæ sunt ultima obligationis species) nomino, cum quis citra dolum quidem sed tamen non citra culpam quid committit, puta si iudex imperite aut imprudenter sententiam ferendo litem faciat suam quem manet pœna arbitraria pr. de obl. quæ ex q. 5. del. c. quatuor n. q. 3. quid vero si fordibus aut odio inimicitiae effascinatus fraudulenter velificetur litigantibus? vid. pœn. civiles & legitimas in auth. hodie & r. t. C. de pœn. Iud. qui mal. jud. Ex quasi delicto item obligatur is ex cujus cenaculo aliquid est effusum dejectumve de quo agit t. r. ff. de his qui dejec. nec non exercitor navis, cauponæ, aut stabuli si familia ejus furtum fecit t. r. furti advers. naut. caup. stab. quæ singula pro dignitate persequi nobis integrum non est nec licitum.

XVI. Proximum est ut videamus, qui obligari possunt, invenies enim non nullos qui juris vinculo & necessitate rei solvendæ non adstringuntur ex consensu ut pote eo destituti, obligantur tamen ubi ex re actio venit l. 46. ff. de O. & A. l. 25. §. furiosi l. 16. ff. Famil. Herc. aut ex facto alterius l. 2. §. 19. de vi bon. rapt. l. 3. §. 1. ff. eo Injur. quales infantes §. 9. J. de Stip. Inur. l. 5. 40. de R. J.

hisque

hisq; similes ebrii c. sane 15. q. 1. C. *crapulâ de vit. & hon. Cleric.* capti mente  
l. 25. C. de Nupt. de portati ex Civili negotio l. 17. §. 1. ff. de pœn. quiq; eorum  
ferunt imaginem Banniti, quorum lacrymabilem conditionem repræsentat  
Const. Imp. de P.P. de anno 1548. Tit. die Poen der Friedbrecher/ ord. Cam. p. 2.  
Cœterum pupillus sine tutoris autoritate contrahens naturaliter tantum  
obligatur l. 21. ff. ad l. Falcid. l. 1. §. 1. ff. de Novat. l. f. ff. de injur. ut & is cui  
bonis à Prætoribus est interdictum arg. l. 10. 16. ff. de Cur. furi. l. 3. C. de Int. Restit.  
sic foemina intercedens pro alio efficaciter non obligatur t. t. ad Sc. Vellei.  
Filii vero familias aliis obligari possunt §. 6. J. de Inut. stip. præterquam ex  
mutuo §. ult. J. quod cum eo qui in alien. pot. & t. t. ff. & C. ad St. Maced. & ita  
Obligari ut eo nomine in patrem quoq; detur actio l. 44. de Pecul. Nam non  
solum ex nostro tenemur facti, sed quandoq; etiam ex alieno, Jure tamen  
Prætorio non Civili, & non tantum ex eorum quos in potestate nostrâ  
habemus Contractu §. 10. de actionibus delictive t. J. & ff. & C. de Noxal. act.  
sed etiam ex quadrupedum nostrarum ratione carentium lascivis admittis  
quibus aliis pauperiem fecere, obligamur t. t. si quadrup. paup.

XLVI. Obligamur porro non tantum ipsi, sed etiam heredes nostros re-  
linquimus obligatos facit huc l. 62. de R. J. l. 24. de V. S. non quidem ad pen-  
dendam pœnam si actio ex delicto sit, l. 22. C. de pœn. nisi lis sit nobiscum vi-  
vis contestata l. Un. C. Ex delict. def. sed tamen ad rem restituendam l. 22. ff. ad  
Sc. Syllanian. l. 7. §. ult. ff. de Cond. Furt. at, si actio ex Contractu proveniat  
successor tenetur in solidum §. 1. de perp. & temp. act. quamvis si plures cohe-  
redes sint, actio inter eos scindatur l. 8. pr. l. 38. ff. de acq. hered. l. 1. 2. C. si unus  
ex plur. hered. l. 157. §. ult. ff. de R. J.

XLVII. Deduci in obligationem possunt (1.) Res sive corporales sive In-  
corporales sint, §. ult. J. de serv. l. 11. ff. de publ. in rem act. i. e. quævis dum-  
modo sint in commercio & natura l. 1. §. 9. ff. de O. & A. §. 1. J. de Inut. stipul.  
(2.) facta, sed propria, non aliena §. 3. de Inut. stip. l. 65. ff. de fidejuss. l. 83.  
de V. O. honesta non turpia non probrosa, aut impossibilia, §. 23. de Inut. stip.  
l. 4. C. eod. tit. (3.) Pœnæ ad quas soluendas ex delicto quis obligatur, atq;  
hæ vel Capitales sunt, l. 2. n. §. ult. ff. de pœn. vel non Capitales l. 2. ff. &  
§. 1. J. de publ. jud. Forma vero obligationis consistit in eo quod vi & neces-  
sitate Juris adstringatur quis ad solvendum.

XLVIII. Finis & effectus Obligationis est, non quod res per illas nobis ac-  
quiratur, l. 20. C. de Pact. l. 1. ff. de acq. poss. Sed quod alium nobis ad stringat  
ad dandum aliquid faciendumve, neq; tamen ideo propter nisi perperam ad  
primum Juris objectum eæ referuntur sed suo loco relinquendæ & rebus an-  
numerandæ sunt.

XLIX. Non

**XLIX.** Non mutaturis nobis solennem & receptam Justin. methodum, neq; ab ea facturis secessionem, ubi explicitum est quomodo obligatio contrahatur, incumbit dicendum quomodo illa aboleat & expiret. Tollitur vero vel ipso jure vel ope exceptionis quæ duo sibi invicem opponuntur *in l. 28. ff. de Action. Empt. l. 34. §. 3. de O. & A. l. 38. §. 1. l. 72. ff. de solut.* Ipso jure solutione *pr. quib. mod. obl. toll.* etiam pro invito facta, nam nihilominus liberatur debitor; de positione pecuniæ publicæ *l. 19. C. de usur. compensatio- nel. 4. ff. de Compens. novatione l. 9. ff. & l. 2. C. de Novat. acceptilatione l. 24. ff. de mortis caus. donat. l. 1. §. 5. de accept. rapina rei propriæ l. 13. ff. quod metus caus. l. 7. C. unde vi. interitu rei §. 16. J. de legat. l. 23. de R. J. confusione actio- num l. 5. C. de Hered. action. præscriptione t. t. ff. de divers. & temp. præf. t. C. de præser. 30. vel 40. annor.*


**L.** Ope Exceptionis veluti si pactum intervenerit vel expressum *t. t. J. & ff. de Except. vel tacitum l. 2. §. 1. de pact. l. 5. 8. C. de usur. Transactione l. 14. C. de Transact. Legato. l. 3. §. 3. de lib. leg. l. 36. d. V. O. Juramento §. 11. J. de Action. l. 3. & 9. ff. de jur. eip. sententiâ judicis absolutoriâ l. 60. ff. de cond. Inut. l. 5. 7. 9. ff. de Except. rei judic. & quæ de genere hoc Exceptiones sunt innumerabi- les ad perimendam. obligationem accommodatæ quas aliis prolixiore stylo per sequendas relinquimus.*

**Finem hic facientes, gratiasq; exsolventes  
solidas & immortales,**

**TRIN-UNI DEO.**







vacata aliqua quæ intervenisse fingitur stipulatio, etiam  
placitum, *l. 11. C. de Rei Uxor act. l. 19. ff. de adopt.  
Comm. stipul.*

XXI. Atque hæc per verba contrahendi formula non  
quia semper res ad manum non sunt ut possimus etiam  
earum traditione transferre, partim ad fulciendam a  
ventionum causam; In stipulationibus enim hoc agit  
securior unde omnes naturæ cautionales esse *Ulpian. pr.  
de Prætor. stipul.* quæ tamen cæteroquin variè dispescu  
cidentaliter alia pura est, alia conditionalis *§. 2. J. de V. O.*  
completitur alia dationem, alia utrumque; *l. 13. C. de C*  
tius à fine est desumpta; alia unius est alia correorum p  
*de duob. reis stipul.* Sive ille ex sua ipsius personâ Jus ha  
alienâ *t. t. de stipul. serv.* Alia Judicialis, alia Prætorica, ali  
ventionalis *t. t. J. de divis. stipul. l. 1. ff. de stipul. Prætor. der*  
Inutiles, variis enim modis verborum Obligatio vitia  
inutilis & inefficax & illegitima esse incipiat de quibus  
*C. de Inut. stipul.*

XXII. Stipulationi vis actionis inest, ut Cic. quoque; t  
*init.* & quidem duplicis, quæ totiens oritur quotiens pr  
gerit nec pollicitationibus manet. Altera est certi co  
est deducta in hunc verbalem contractum, altera ex stip  
certa: hæc plenius etiam incerti ex stipulatu actio non  
*l. 27. ff. de Recept.* alibi vero actio incerti appellatur *l. 3. in*  
usus stipulationum maximam partem exolevit, proq  
venta frequentantur.

XXIII. Tertia species Contractuum quibus obligati  
quæ ex litteris atque scripturâ robur accipit & compleme  
Chirographario Instrumento fatetur quis accepisse se p  
accepit, nec intra biennium illam scripturæ confessione  
*de litt. obl. l. 14. C. de non num. pec.* tum enim post laps  
litteris suis obligatur efficaciter *d. l.* & conditione ex le  
netur, *l. unic. ff. de cond. ex Leg.* quamvis probare paratu  
raturum *l. 8. in f. & 10. C. de non num. pec.*

XXIV. Intra fatalia vero illa tempora habet remedi  
possit indemnitati suæ consulere qui simplicitate lapsus  
quod non accepit, iniquum enim, petitorum exigente  
vit protelare potest & repellere (*l.*) Exceptione non nu

B



the scale towards document

is exem  
trah. &

partim  
minium  
m Con  
or fit &  
§. 4. ff.  
odo ac  
factum  
æc po  
f. & C.  
five ex  
a con  
nt aliæ  
itur ut  
J. ff. &

mâ sub  
fidem  
s certa  
a resin  
le usur.  
ip. sed  
a con-

est illa  
cum  
non  
§. 1. J.  
ius ex  
ere te  
ume-

quibus  
us est,  
mera  
e, l. 1. &  
pen.